

Zeitschrift:	Der Geschichtsfreund : Mitteilungen des Historischen Vereins Zentralschweiz
Herausgeber:	Historischer Verein Zentralschweiz
Band:	10 (1854)
Artikel:	Johannes von Schwanden, Abt in Einsiedeln, und seine Zeit : besungen von Meister Rudolph von Randegg
Autor:	Morel, Gallus
Kapitel:	Liber IV, De invasione Loci et Captivitate Patrum et Subditorum Monasterii a Suitensibus facta
DOI:	https://doi.org/10.5169/seals-110724

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 18.08.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

LIBER IV.

**De invasione Loci et Captivitate Patrum
et Subditorum Monasterii à Suitensibus
facta.**

§. 1.

- 1 Natales Domini Revolutio præbuit anni
 Cunctis, catholicam qui didicere fidem. ¹⁾
 Hic Domini festum solem pñne colit Chorus iste
 Dulcibus Organicis cantibus atque modis. ²⁾
 5 Cum majore minor contendunt pandere voces
 Certatim, voci parcere nullus amat.
 Concinnum jubilum decorat concordia vocum,
 Atque relativus ordo canoris adest:
 Perdocte pausat quisquis cantando, legendo,
 10 Quid legat aut cantet, cui libet ordo refert.
 Missa, Processio per celebrem cantum recitatur, ³⁾
 Ac horæ reliquæ, quas sacer ordo probat.
 Pauca quies nobis nocturnis sive diurnis
 Horis, sed Domino gloria crebro datur.
 15 Mens vigil ad cultum remanet, cum facta dehiscunt;
 Supplet mens cupida, quod minus actus habet.
 Lætabundus inennarabiliter Chorus iste
 Perficit hoc festum, gaudia magna tenens. ⁴⁾
 Expirat festum, discedunt gaudia nostra,

¹⁾ Natales Domini sind hier die Weihnachtsfeste, von Weihnacht bis Epiphanie oder die s. g. zwölf Tage gemeint.

²⁾ Es bleibt noch zweifelhaft, ob unter dem organicis wirkliche Orgeln zu verstehen seien.

³⁾ In ältern Zeiten war weit öfter als jetzt die Processio mit der Missa verbunden, wie sich aus alten Kirchenordnungen und Statuten genugsam ergiebt.

⁴⁾ Ein Jahrhundert später klagt Hemmerli über vernachlässigten Gottesdienst und Chorgesang in Einsiedeln, trägt aber dabei offenbar die Farben zu stark auf.

- 20 Organa desistunt, et lyra nostra tacet.
 Anni curriculus advexerat Epiphaniam,
 Quæ dicti festi terminus esse datur.
 Limitat hoc festum, sepelit quoque gaudia nostra,
 Nam cessante die nox lacymosa subit.

§. 2.

- 25 Fertilis est vallis, cœlo suavis, generosa
 Plantis, jocunda flumine, ¹⁾ lacte fluens:
 Huic Schwitz est nomen, hæc undique cingitur altis
 Montibus et lacubus, nec sibi strata patet.
 Nobilis est tellus, ignobilis incola, fida
 30 Est humus, infidus incola, fraude satur. ²⁾
 Hæc gens rege caret et lege, sed ad libitum fert,
 More Tyrannorum, quæ sibi facta placent.
 Hanc Sathan adversans circumvolat, ingerit iras
 Immeritas, grande suadet inire nefas;
 35 Gensque diabolica, sic inflammata furore,
 Turget, et inde scelus cogitat, atque patrat. ³⁾

§. 3.

- Cunctis Epiphania fidelibus est veneranda, ⁴⁾
 A Dominoque petunt perpetue pace frui.
 Huic genti tamen ista dies sacra spernitur, ipsa
 40 Nam sese citat, ac in mala facta tumet
 Minat in unum se gens et mala multa minatur,
 Nititur et fraude rumpere pacis opes.
 Consilium durat ad noctem solis ab ortu,
 Qualiter hoc claustrum dilapidare velint.
 45 Attamen in longum sententia ventilat ista,
 Nam quidam cupiit hoc revocare scelus,

¹⁾ Die Muota. Auch generisch zu erklären.

²⁾ Auch von Schwyz geht die Sage, in alter Zeit sei das Land fruchtbarer als jetzt gewesen, und man habe am Abhang des Haken so viel Korn gepflanzt, daß es auf den Markt nach Lucern versührt werden konnte.

³⁾ Bei diesen und den meisten folgenden §§ schweigt der alte Commentar, und bemerkt gewöhnlich nur: *textus patet*, oder: *solum verba textus*.

⁴⁾ Hier beginnt die Geschichte des nächtlichen Ueberfalls.

Ut tam præcelsa non irruerent violenter,
 Quæ manus angelica templa sacrata dedit. ¹⁾
 Demonis at servus, quem nunc non nomino, statim
 50 Postes observat, obstat et ista refert:
 Nequaquam patimur quod consilium retrahatur,
 Quod tam prudentes edocuere simul:
 Unde tace, ne te feriat vindicta, nec obstes,
 Nec foveas, quos nos jure perire damus;
 55 Quod si volueris nobis contrarius esse,
 Diceris et cives perdere velle tuos.
 Hoc intellecto sic obmutuit probus iste,
 Ausus nec fuerat quid super ista loqui.
 Sic bonus opprimitur, malus exaltatur, et æqua
 60 Res coram reprobis labitur, aret, abit;
 Cum nocuis justus marcescit, floret iniquus,
 Atque lupi causa stat, sed oberrat ovis.
 Tandem decretum fuerat, nullo retrahente,
 Ut furtim dicta Claustra subire velint.
 65 Sed ne muniret nos quis de clade propinqua,
 Obstruitur via quæ dicit ad ista loca,
 Præceptumque volat, totius ut incola vallis
 Deferat ad bellum quilibet arma sua.
 Gens vocat ista suos equites, pedites simul omnes,
 70 Conglomerat vires, aggrediturque viam.
 Gens hæc partitur tres in turmas, tribus ut nos
 Partibus obstipent, ne quis abire queat.

§. 4.

Sol abiit, fulgent sed cœtera sidera cœli.
 Armis induitur ad mala prompta cohors.
 75 Hi properant; rapimur sompno nil tale timentes;
 Grata tamen sompni fit cito rupta quies.
 Circiter intempestum gens prope venerat ad nos,
 Observatque vias, quas vehit ista domus.
 Campanam tangit residens ædilis in arce,

¹⁾ Uhermalige Hindeutung auf die Engelweihe.

- 80 Et sonus hic ovibus monstrat adesse lupos.
 Nec mora, tota cohors præceps circumvenit ædem,
 Ut nullus nostrum possit habere fugam.
 Avolat a nobis somnus, timor ipse medullas
 Occupat, ac artus concutit, ossa tremunt;
- 85 Mens stupet, horremus omnes, nullus scit ubi sit,
 Nulli, quid faciat quidve relinquat, adest.
 Errant actus, est animus tamen omnibus unus,
 Scilicet a lecto surgere quisquis amat.
- 90 Surgimus, et tunicas, alias vestes quoque nullus
 Invenit, hic cappam fert, aliisque caret;
 In manibus sotular¹⁾ huic est, huic est femorale,
 Hic caret ambobus, alter utrumque tenet:
 Cingulus hunc cingit, hic est discinctus, et alter
- 95 Velamen capitis non habet, alter habet.²⁾
 Membra tremiscunt, corpora febricitant, titubat pes,
 Nec certum possunt sistere crura gradum.
 Præcipiti cursu, gradibus nutantibus, amens
 A camera quisquis perstupefactus abit.
- 100 Confugimus, quoque diffugimus, periit fuga nostra,
 Quisquis amat fugere, quisque latere cupit.
 Nec latitare potest quisquam, fuga nec patet ulli,
 Attamen arta loca quærere quisque parat.
 Deserimus et cameras et dormitoria, cellas,
- 105 Inque Monasterium fit fuga nostra prior:
 Lectisternia, vestes, libri, cœtera quoque
 Nobis concessa cuncta relicta jacent.
 Maximus est namque nobis timor, ut perimamur;
 Sic ut servemus corpora, cuncta putrent.
- 110 Attamen est spes nobis quod capiant violenter
 Armatis manibus nulla sacra loca:
 Nos tamen hæc fallit spes, sit licet ipsa tenenda,

¹⁾ Sotular, dieses Wort, das noch einmal vorkommt, bedeutet eine Art Sommerschuhe der Mönche für die Nachtzeit. Gewöhnlich hießen sie subtalares, d. i. unter den Söhnen. (Ducange glossar.)

²⁾ Die Kapuze. Es scheint aus dieser Stelle, daß sie damals noch vom Scapulare getrennt war, wie dies jetzt noch in mehreren Ländern üblich ist.

- Et sit in extremis omnibus apta comes.
 Jo. Regünsperg et Ruo. Wunenburg senio nos
115 Linquentes nostram non tenuere fugam.

§. 5.

- Jo. Regünsperg de clastro fugiendo, phalanges
 Hostiles intrat simplicitate sua;
 Qui statim per eas deprensus vincitur, imo
 Vincitur, pateat ut sibi nulla fuga.
120 Rector et Ecclesiæ, cui nomen fertur adesse
 Ethiswile, dehinc talia vincla subit. ¹⁾
 Ast harum princeps hunc postquam novit, eundem
 Præcipit absolvit: solvitur ergo cito.
 Cuon. Bunburg cantor, Ruo. Winunburg, seniorque
125 Conjunction latitant, scrobs et utrumque tenet.
 Frigore concutiunt hi dentes, atque medullas,
 Pertundit timor his, sic ab utroque tremunt.
 Sed tamen interdum timor extorquet sibi guttas
 Sudoris, quamvis occupet algor eos:
130 Visus enim fuerit circa se sæpius hostis,
 Nec tamen in fovea viderat hostis eos.
 Nam tegit hos umbra latitantes noctis opacæ,
 Cujus opem poscit qui latitare cupit.
 Interea splendens erexit cornua luna,
135 Lux sit grata licet, his inimica datur.
 Circa se nullus tunc his apparuit hostis,
 Winunburg suadet, Cuon. retrahitque fugam;
 Winunburg, quoniam levis est, Cantor gravis annis,
 Hinc disconveniunt mente fugaque simul.
140 Cum videt opportunum Winunburg sibi tempus,
 Prosilit a fovea, Cantor at hæret ibi.
 Aedis quam coluit cito quam retro sibi valvam
 Pandit et intrat ibi se statuisse putans:
 Introitu primo quamplures videt in armis,

¹⁾ Ettiswil, im Kanton Lucern, stand damals schon seit langer Zeit in mancher Verührungen mit Einsiedeln, das daselbst nebst dem Kirchensaß auch viele Güter und Rechtsamen besaß.

- 145 Quos hic nostrates credidit esse viros:
 Fallitur hic, hi namque cito manibus violenter
 Injectis rapiunt, firmiter huncque tenent;
 Sic cadit in laqueos ubi præsidium putat esse,
 Inque domo propria non honor ullus ei.
- 150 Dicitur et post hoc ad dormitoria nostra,
 Quo cum venisset janua clausa fuit:
 Nos intro stetimus, audivimus hunc fore vinclis
 Addictum, fugimus, spargimur absque modo;
 Ast ejus frater Winunburg junior hæsit
- 155 Exterior, donec clave reclusit eis.
 Interior quod cum vidisset, fratre relicto.
 Nos gressu sequitur prepete, moxque fugit.
 Diffugium retinent B. Custos, atque Johannes
 Hasunburg, inde connumeratur eis.
- 160 H. Winunburg, Cun. Geskon, Thüringus, at inde
 Attinghusen, et hinc Ruo. ego jungor eis.
 Post hoc æditius Eschüntz Eberhardus hic extat,¹⁾
 Audax ac magnus corpore, corde, manu.
 Turris ubi pendent campanæ Cœnobij stat,
- 165 Suscipit hic nostram fortis et alta fugam.

§. 6.

- Principis ex alia stat curia parte locata,²⁾
 Hanc colit ejusdem jure minister heri:
 Clericus hic sapiens est, prudens, est venerandus,
 Sobrius ac humilis, mente manuque pius;
- 170 Omnibus est habilis, placidus, discretus et aptus,
 In sibi commissis sollicitus que manet,
 Providus in cunctis; huic est industria tanta,
 Quod sibi dictus herus subdidit ista loca.
 Colligit iste tributa loci nostri, tribuitque

¹⁾ Von Eichenz im Thurgau gilt das gleiche, was eben von Ettiswil gesagt wurde.

²⁾ Noch jetzt heißt die Abteiwohnung der Hof, curia. Damals war der Abt in Pfaffen, und sein Minister oder Verwalter besorgte die Geschäfte in Einsiedeln, welche hier des Nähern bezeichnet sind; d. h. er bezog die Fälle, leitete und regelte die Ausgaben, und entschied in streitigen Fällen.

- 175 Largus abundanter quos alit ista domus.
 Sub perpendiculo præbendas dividit omnes,
 Aequa lance suum sumere cuique datur.
 Et factus judex hic judicat omnibus æque,
 Quod sententia dat, hic sibi quisque tenet.
- 180 Omnia quæ clero sunt apta gerit, laicisque,
 Sicque decorem dat utraque vita sibi.
 Iste minister nostræ cladis non fuit expers,
 Huic requiem nocte curia dicta dabat.
- 185 Huic ut percipitur campanæ clangor, ad arma
 Prosilit, induitur, scire, quid id sit, amat;
 Affuerat casu secum frater suus: ille
 Sumit quadrupedem poste, trahitque seram,
 Ac aperit portam, præssivo more, repente
 Ingens turba ruit, intrat eumque capit.
- 190 Hic autem sese comitis famulum fore dixit
 Habsburgensis, et hinc mittitur ille cito.¹⁾

§. 7.

- Ipse minister porro gradum sibi sistere quærens,
 Cooperat ad statum vertere terga sua.
 Et manibus capulum rapit, eximit insimul ensem
 195 Ictibus et validis pellere temptat eos.
 Quod vanum fuerat, hunc nam, si straverit hostes,
 Nemo manum præbet huic, quia solus adest.
 Illoco balistam²⁾ torquens in eum violenter
 Intento telo venit et ista refert:
- 200 Da gladium, teque captivum da, quia solus
 Non potes obstare nos, quia turma sumus;
 Quod si tardabis, jaculo tua viscera in ima
 Perfodiam: caveas si velis ergo tibi.
 Ipse minister ad hoc respondit: si poteris me

¹⁾ Der Umstand, daß der Gefangne sogleich frei wird, da man in ihm einen Habsburgischen Dienstmann erkennt, zeigt, wie sehr dies Haus in Schwyz gefürchtet oder geachtet war.

²⁾ Was wohl der Dichter hier unter Balista verstehen mag? Wahrscheinlich eine Armbrust, wie aus dem folgenden tento telo und dem jaculo zu schließen ist.

- 205 Sanum servare, sit velut ipse cupis.
 Hic dixit, possum; quando mihi filia nupsit
 Nostri ductoris, inde potenter ago.
 Hic verbis fidens his ensem dat, tamen ille
 Hunc post se linquit, nec sibi monstrat opem.
- 210 Quo fugis? hic clamat, sic verba vacant tua vero?
 Sic in te reprobo claudicat ipsa fides?
 Non probus es, nec te probitas decorat: tamen ille
 Non animadvertis hæc, sed abinde ruit.
 Ast alter rapit hunc, nudat, sua tollit et arma
- 215 Ad stratam dicit, ut sedeatque jubet:
 Nam juxta stratam, qua porta patet, datur olim
 Arboris in trunco sessio structa fore.
 Tunc rogus est factus ibi, quo sumpsero calorem;
 Hic etiam cartas, quas rapuere, cremant:
- 220 Instrumenta putant sic omnia perdere Claustrum,
 Securo Pater ast tradidit ipsa loco. ¹⁾

§. 8.

- Interea valida simul agmina plura rotantur,
 Inpugnantque domos, intrat ovile lupus.
 Nemo resistit eis, non est qui liberet, aut qui
- 225 Pro nobis pugnet — nemo resistit eis.
 Ad cameras, cellas, ad dormitoria claves
 Non poscunt, pandunt sed sine clave foras.
 Non est clausura tam fortis, janua non est,
 Quæ queat obstare, pessula nulla valet.
- 230 Fit fragor et strepitus, cistas, armaria nostra
 Laxant, scrutantur nostra secreta loca.
 Libros et vestes et lectisternia nostra
 Tollunt, ac alia, de quibus usus adest.
 Diffundunt cuncta, quæ nos collegimus, et quiis

¹⁾ Es ist begreiflich, daß man bei dem obschwebenden Streite vor allem die Rechtstitel zu zerstören suchte, welche aber der Abt in Sicherheit gebracht hatte. Wie sehr ist dagegen der Verlust so vieler andern schriftlichen Denkmale zu bedauern. Es ist sich nur zu verwundern, daß das noch Vorhandene gerettet werden konnte.

- 235 Usus paucus adest, sub pede sancta fluunt.
 Effractis domibus, cameris, cellis quoque nostris,
 Inde monasterium quisquis inire cupit.
 Magnis roboribus, simul atque securibus audent
 Sacrati templi dilaniare fores.
- 240 Viribus impellunt et sanctuaria templi,
 Ferrati postes cedere dantur eis.
 Hostia sub pedibus discerpta fluunt, fragor ille
 Sacrilegus findit nubila, tinnit aér.
 Post hæc asportant cortinas, vela, tapeta,
- 245 Albas cum cappis, cum casulisque libros. ¹⁾
 Præterea quæcumque Sacerdos atque minister
 Cultibus in sacris debet habere, ferunt.
 Tollunt aurata plenaria, condecorata
 Gemmis, candelas, thuribulumque simul.
- 250 Ut narrem breviter, ornamenti spoliatur
 Omnibus hoc templum, quod sibi nulla manent.
 Est, heu! plangendum, moerendum sive dolendum,
 Et tam sacrilega promere facta pudet.
 Horum corda matis sunt indurata nefandis,
- 255 Quod neque factorem, se neque scire volunt.
 Parvis criminibus piget hos instare, sed alta,
 Nituntur scelera concumulare sibi.
 Hi tollunt aris pallas, altaria nudant,
 Hineque parant temere majus inire nefas.

§. 9.

- 260 Altaris summi vellunt de cardine postem;
 Ferrea lunata lamina poste cadit,
 Rumpitur et clavi gumfus, dissolvitur omnis
 Postis junctura, discutiturque sera,
 Ossaque sanctorum, quæ condita pace fuerunt.,
- 265 Et quæ condigne quisque fidelis amat,
 Pollutis manibus hoc audent irreverenter

¹⁾ Zum viertenmal werden hier die Bücher als Gegenstand des Raubes und der Zerstörung erwähnt, und gleich darauf abermal die mit Gold und Edelsteinen geschmückten Plenaria.

- Tangere, de requie spargere, ferre solo.
 O mala res! o grande malum! miserabilis o res!
 O res perversa, perniciitate fluens!
- 270 Vulgus iners, pravus populus, plebs et maledicta,
 Atquè tyrannica gens dissipat ossa pia.
 Spargit reliquias aditis, pedibus quoque calcat,
 Inque pavimento sternit et ossa sacra:
 Quos mors sacra beat, quos cœlica regna coronant,
- 275 Visio perpetuæ quos Deitatis alit.
 Filius Sathan castigat rursus hos, ut olim,
 Ossibus intrepide corporibusque suis.
 Quare vindictam nunc poscunt ossa piorum,
 Ut quondam sanguis corpore fusus humi.
- 280 Sed Dominus miseret, parcit pietate paterna,
 Non peccatoris mors, sibi vita placet.

§. 10.

- Effundunt panem Deus in quo verus homoque
 Est invisibilis, pyxidas hincque ferunt.
 Tardius est ortus solito sol, ne scelus illud
- 285 Conspiceret, niveos atque retraxit equos;
 Nubibus obduxit faciem pulchram sibi luna,
 Abdunt et vultus sidera quoque suos,
 Ne tam sacrilegos tam terriblesque prophanos
 Et reprobos actus intuerentur ibi.
- 290 Tollunt utilitatis quæ sibi sunt alicujus
 Et linquunt cara nulla scienter ibi.
 Et quod turpius est, hi perpetrant sibi factum;
 Sed veluti sunt hæc dicere cuncta pudet.
 Nam post insanos actus nimium calefacti
- 295 Hi tum plus æquo vinula nostra bibunt,
 Sic hausto vino statim^m facti temulenti
 Fœdant tunc proprio stercore templa Dei;
 Et jacit urinam quisquis, ventrisque tributum
 Solvit in ecclesia, nec scit adesse sacra:
- 300 Sic ratione carent, humanus sensus abest eis,
 Flamma diabolica sed simul urget eos.

Ipsi candelas quibus utebamur ad aras
Turpiter expendunt in malefacta sua. ¹⁾

§. 11.

- Ad nostrum cœlum sol præcipit ire jugales,
305 Cujus lux noctis sidera quæque premit.
Interea facibus gens hæc ardentibus intrat
Turrim, quæ nostram ceperat ante fugam.
Armis hi tuti gradibus tendunt ad inermes.
Frigida per nostra viscera gutta cadit:
310 Cor gemit, ossa tremunt, artus nutant, veniæ spes
Debilis est nobis, fata subire rati.
Se parat et quisquis nostrum sibi sumere lœte
Lethum pro Christo, verbera cuncta pati
Ex nostris quosdam confessio mundat, at alter
315 Perduratus erat sumere quodque malum.
Hi sic ascendunt, nos desperavimus omnes,
Quid faciat nescit quisque, quod optat. Adest
Aedituus noster Eberhardus, ac ammonuit nos
Dicens: nos turris servat ab hoste fero:
320 Vos fortes vultis mihi si parere, securi,
Quam manibus teneo, cæditur hostis iners.
Iste gradus nulli patet hosti, verbere primo
Namque ruet primus, primitus inde sequens.
Aut castraturus hanc tristegam modo solvam,
325 Ascendat ne quis, si magis ista placent.

§. 12.

Increpitans hæc verba pius Custos, bone, dixit,
Nos bellicosi non sumus, ergo tace.

¹⁾ Hartman hat die in der Kirche verübten Gräuel übergangen, dagegen sind sie von Kopp im Archiv für Kunde österreichischer Geschichtsquellen (Jahrg. 1851. I. Bd. 1. und 2. Hest S. 74.), wenn auch kurz doch im Wesentlichen vollständig erzählt. Wir erinnern, was hierüber in der Einleitung gesagt ist. Daz Bergbewohner überhaupt die einmal erwachten Leidenschaften weniger zu zügeln vermögen als Andere, und daß namentlich die Bewohner der Bergkantone auch später, wie z. B. im alten Zürcherkriege, ähnliche und noch schrecklichere Unthaten verübten, lehrt die Geschichte.

Pro nobis pugnet Dominus, sua sacra voluntas

Fiat, nos foveat Omnipotentis apex:

- 330 Si morimur, Domini sumus, et si vivimus, ipse
Cum vita mortem dirigit atque secat.

Pro nobis passus Jesu est, patiamur in ipso,
Qui voluit mortem tollere morte sua.

Laus sibi sit, virtus, decor arduus, alta potestas,

- 335 Imperium sit, honor, gloria perpes ei;
Ejus Nomen sit benedictum: dicimus Amen!
Omnes oramus, ut Deus addat opem.

§. 13.

Nec mora, stant summis gradibus, per corpora tecti
Armis quamplures ante, levantque faces.

- 340 Quos humilis Custos devota voce salutat:
Ad quid venistis? dixit, et ista refert:
Non nocuit vobis aliquis nostrum, neque damnum
Intulimus, quod nos ad mala nostra citet.

Ex quibus unus ait: vos sitis corpore tuti,

- 345 Res autem vestras tollere quisque parat.

Nos sumus ad Dominum nostrum vi ducere jussi
Vos captivatos, vincla subire sua.

Dicimus, hoc nichil est, demptis non est dolor ullus,
Rebus, si sana corpora nostra manent.

- 350 Descensum cupimus omnes, sed nos prius, ipsi
Post; visu lustrant hinc loca quæque suo.

Ut lupus insidias ovibus ponit rapiendis,
Sic sua circumfert lumina raptor avens.

Janua visa fuit claudens laquearia supra,

- 355 Ne minus incautus præcipitetur ibi.

Quam postquam videre, putant ibi res reperire.

Accurrunt, sed spes hæc sua vana fuit.

Tunc Custos monuit ipsos, non reddere quærens
Tristia pro tristi, sed pius esse volens.

- 360 Dixit enim: non sunt ibi res, sed gressus ibidem,

Debilis est tabula, nullaque firma manus.

Ergo sibi quisquam caveat, ne præcipitetur:

- Sic inimicorum providet ipse malis.
 His dictis ad Ruo. Winenburg ducimur ædem,
 365 Qui cum Regunsperg ante sedebat ibi.

§. 14.

- Ex alia structa stat parte Capella Mariæ,
 Quæ Dominum peperit, castaque virgo manet.
 Hæcque Capella Capellanum tenet, iste Johannes
 Est proprio dictus nomine, dignus eo.
 370 Flore juventutis hic doctrinam sitit, haurit,
 Quæ bona Doctoris cuppa propinat ei.
 Proficit hic tantum, quod sit doctor puerorum,
 Illis propagat dogmata sumpta prius: ¹⁾
 Gratia namque Dei fertur signare Johannes,
 375 Gratiaque (hæc) Domini semper adhæret ei.
 Hujus et officij dat sedulitas sibi famam:
 Presbyteratus hic scandit et ipse gradum.
 Et quia tam crebra fuit in cura puerorum,
 Huic digne populi postmodo cura datur.
 380 Prædicat his Domini sanctum nomen, docet illos
 Sumere virtutes, linquere prava jubet;
 Præmia quanta Deus et qualia donat amanti
 Se puro corde, dicit et inde sibi.
 Non solum verbis sed et exemplis docet iste:
 385 Sic populi duplii dogmate corda fovet.
 Omnia quæ verbis docet, exemplis probat, ut non
 Operibus fiat dissona lingua suis.
 Orat pro populo sibi commisso, Deus illum
 Salvet, ut his facere det quoque velle suum.
 390 Justum justicia, sapientia dat sapientem,
 Fortem dat rigor hunc, dat placidumque modus,

¹⁾ Wir haben also hier neben dem Magister und Scholasticus Rudolf auch einen Doctor puerorum im Kaplan Johannes. Zum Lohn seiner Verdienste als Lehrer, wurde er zum Pfarrer (Plebanus) oder Seelsorger ernannt, und wir sehen aus der hier folgenden Schilderung seines Wirkens, daß auch damals die Pfarrstellen nicht als bloße Ehren- oder Ruheposten angesehen wurden.

- Iste Chorum nostrum jubilis decorat super alta
 Atque levat, quoniam scit quoque vult que potest.
 Hic ut percepit hostes instare, Capellam
 395 Intrat, ibi salvum se fore namque putat.
 Clauditur et postis claves sacrista removit,
 Hic solus clausus anxius hæret ibi.
 Impugnat gemitus, tempestas dira cor ejus,
 Nemo solatur, nemoque præbet opem;
 400 Nemo consilium sanum tradit sibi, nemo
 Ipsius casus sublevat, huncque tenet;
 Sed manibus Domini sese commendat, et orat
 Votivis precibus, ut sibi præstet opem.
 Expansis manibus se prosternit super aram
 406 Virginis electæ, præsidiumque petit.
 Flagitat et sanctos omnes, Dominum rogitare
 Pro se dignentur, hostis ut ira fluat.

§. 15.

- Interea super altari stat aperta fenestra,
 Per quam prospiciens illico vidit eam
 410 Turbam, verborum sibi quæ mala multa minatur;
 Impulsa ferri cuspide dicta tonat:
 Da nummos, Monache; non sic licet improperando
 Iste tamen Monachi; nomine pulsat eum;
 Da nummos, dixit, non audis furcifer, aut da
 415 Nummos, aut ista cuspide morte cades.
 Quindenos solidos illi dedit et putat omnes
 Hæc sedasse, sed hos incitat ipse magis.
 Cum corvus crocitans reperisse cadavera monstrat
 Se, tunc corvorum plurima turba venit.
 420 Sic magis hi quod det instant, sed non habet, illi
 Non animadvertis, credere seque negant;
 Dant probra multa sed is fugit in latebras, Dominoque
 Inde preces tacita fundere voce studet;
 Dicens; qui tribulant me quid sunt multiplicati!
 425 Non est, o Domine! tu nisi, qui det opem.
 Martyrium tolle, quæso, non martyris, o rex,

- Sed Confessoris da mihi morte frui.
 Interea quærunt hi robore frangere postem
 Nitentes ; Ethiswile sed obstat eis ;
 430 Clavibus allatis aperitur janua, vinclis
 Concito Plebanus additur ipse gemens.
 Ducitur hinc ad nos violenter, et ipsa Capella
 Intactæ matris sic temerata fuit.

§. 16.

- Invento loculo quo Winenburg latitabat
 435 Junior, quem tunicæ fimbria prodit ibi,
 Extrahitur, post hoc ad nos quoque ducitur ille :
 Evasit nullus sic fera vincla sua.
 Tandem de fovea, compulsus frigore Cantor
 Bunberg, qua latuit, serpere sponte cupit,
 440 Intravitque domum, qua nos concedimus ; inquit :
 Si Monachos cupitis illaqueare modo,
 Præsto sum, nobis sed commoda nulla fero, nam
 Est mea vita brevis, sum nimis, ecce, senex.
 Vos, vos, unde precor, misero mihi parcite : cunctis
 445 Est jocus ac risus, huncque sedere jubent.

§. 17.

- A dextra valle properans fera solis in ortu
 Turba subest foribus; intrat et ipsa domum.
 Illa fama cruciata fuit, petit ut satietur,
 Ac escas tentat poscere; nemo dabat.
 450 Inflammata per hoc fuit, impugnatque cubile,
 Quod nos inclusos continet; ira tumet,
 Dicens : pars æqua de captivis, spoliisque
 Nobis condigno cedere jure datur;
 Protinus ergo date res, captivos simul, aut nos
 455 Ferro, quod ferimus, morte ferimus eos,
 Sic ut nulla lucra præstent vobis, neque nobis :
 Res cum captivis protinus ergo date.
 Stupuimus sic, quod quem sumere quisque parabat
 In nostro timido constitit ore cibus :

- 460 Esca namque famis a molibus exonerari
 Cæpimus, hostilis quam dedit ipsa manus,
 At se custodes ipsis opponere nostri
 Nituntur foribus, culter utrisque micat.
 Sic lis de raptis oritur, res dissecat illos,
- 465 Quos contra quosque junxerat una fides.
 Nos timor obnubit sic nostra secunda procella,
 Altis gurgitibus pectora mergit item.
 Nos ut oves pavidas diversarum laniandas
 Unguis ursarum tristia multa premunt.
- 470 Spectamus finem, spectamus prædominantem;
 Cui simus præda, nos dubitamus adhuc.
 Jctus perfortes cesserunt exteriores,
 Nostri custodes inde trophæa tenent.

§. 18.

- Tunc sol est ortus, ad nos cum venerat horum
 475 Dux, qui nos secum carpere jussit iter.
 Ast Cun.¹⁾ Cantorem simul Hasenburg quoque solvit
 Vinclis; debilis hic nam fuit, ille senex.
 Floribus ut raptis melioribus ad sua tecta
 Pondere viminea regrediuntur apes,
 480 Sic male sana cohors, templo Domini spoliato,
 Se parat ad redditum, terga recurvat onus.
 Præcipit hinc princeps armatorum, sibi, caute
 Ducere captivos et simul omne pecus.
 Namque Monasterii captivabant sibi sérvos,²⁾
 485 Prendere quos poterant, res tulerantque suas.
 Primaque turba pecus abijt, captosque secunda;
 Servos Cenobii, tertia nosque tenet.

¹⁾ Konrad von Runburg, der Sänger, und Johannes von Hasenburg, der nachmalige Abt.

²⁾ Tschudi dagegen fand für gut zu erzählen: „Es namend och die von Schwiz „kein Roub in dem Kloster“ und „dem Gesind in dem Goßhus thaten sie „kein Leid.“ Der offenkundigen Partheilichkeit Tschudis lag gewiß mehr übelverstandene Vaterlandsliebe, als böser Wille zu Grunde.

Orbatæque vires mulieres nubila findunt
Planctibus, et lacerant unguibus inde genas.

- 490 Et gemitus eructant in luctus lacrymosos,
Flebilibusque dehinc vocibus ista ferunt:

§. 19.

O Deus omnipotens! inopum defensor et ulti,
Non tua terrenus scire secreta potest.

Tu vigilans dormisne? vide temeraria facta,

- 495 Reproba, quæ gens hæc in tua templo tulit!
Destructus tuus est cultus, captivus habetur

Cultor, et inde nemo ministrat ibi.

Et charis nostris, Deus, ach sponsis spoliasti;
Ob quod item gemitus dira procella ferit.

- 500 Res simul et pecora nobis tolluntur; ab omni
Parte dolor cruciat, cordaque nostra fodit.

O rex! quid miseris differs inferre ruinam
Interitus? tolle vivere, daque mori,

Ne nos exagitet ululatus continuus, nam

- 505 Gratior est mors quam vita dolore fluens.
Sternit et in terram sic fatas extasis harum

Quasdam squallentes ore; decore comis

Ejulat ast alia, præceps sequiturque maritum,
Dicens: sic tecum cuncta parata pati!

- 510 Altera sed pueris solatia, quæ sibi desunt,
Præbet, et infantes lactea mamma fovet.

Atque manus alia nodosas conglobat, atque

Pectora tundit abhinc in lacrymasque ruit.

- Altera sed dira probra demens hostibus offert,
515 Fæmineos mores explicat atque loquax.

Ad cœlum multæ clamant: ulciscere, regum

Rex! da vindictam, daque perire reos.

Ut breviter narrem, mulieris adest furor omnis

Et planctus, quibus hæc quosque movere solvent.

§. 20.

- 520 Ast hostes planctus non flectunt ad pietatem
Nec probra, sed spolia ducit avara manus.

- Tuncque prophetavit dicens ex hostibus unus :
 Reddetur nobis horridus iste dies ;
 Nec solum nobis, successores quoque nostri
 525 Ex hoc cogentur sumere multa mala.
 Nam Domini templum, Matrisque suæ sine causa
 Jrruimus temere, quod ratione caret.
 Ut Deus ex Caiphæ verbis voluit dare vera ,
 Sic vult isto nunc indice vera cani.
- 530 Nam Deus ex reprobris vasis quandoque revelat
 Alta , quod utatur ad bona facta malis.
 Hi cæptum peragunt redditum , ducunt quoque rapta ;
 Mugitus magnus fertur in alta boum:
 Quadrupedum sonat hinnitus , percellit et auras;
- 535 Sic armatorum nubila voce tonant.
 Alter nos cingit, dicit quo nolumus alter ,
 Suscipit invito nos pede lassa via.
 Sed cum perventum fuit ad montem per anhelum
 Debilitat nostros proxima lama pedes.
- 540 Claudicat inde cito pes noster, corda gemiscunt,
 Contrahitur facies , fletibus ora madent.
 Longior hinc prior est, breviorque sequens pede versus ,
 More Poetæ, quod claudicat inde metrum.
 Carmina perfusa lacrimis stant, et maculosa
 545 Ore metrisantis , quæ cecidere super.
 Sed lacrymis visis , quidam fuit ad pietatem
 Motus , et auxilium præbuit inde mihi ,
 In quo sedit equi quoniam me prendere caudam
 Jussit, ut ascensus fortior esset abhinc. ¹⁾

§. 21.

- 550 Monte peragrato sylvam transivimus; inde ,
 Venimus, in quo sunt mœnia structa , loco. ²⁾

¹⁾ Wer fühlt hier nicht den köstlichen Humor ?

²⁾ Der Weg ging sehr wahrscheinlich über den sog. Käzenstrick, und der Ort, wo Mauern standen, ist wohl Rothenthurm. Dort war in alter Zeit das

- Raptores ab equis ibi clitellas posuerunt,
 Et sese quiv's exoneravit ibi.
 Hic requiem sumunt quoniam fessi, simul et nos;
 555 Ac inibi prædo raptaque præda stetit.
 Nostri cenobii servi prece vel pretio tunc
 Et raptore pecus solvere seque student.
 Consumptis precibus infinitis nihil hostes
 Ad veniam flectit, res nisi dentur eis.
 560 Sic nummus solvit, ligat, exorat, negat, urget,
 Desistit, reprobat, comprobat, horret, amat.
 Omnia quæ sensus petit humanus, tibi nummus
 Heu! dat; ob hoc fragiles in mala facta ruunt.
 Hinc dictos servos regina pecunia solvit,
 565 Et fixo pacto vincla soluta cadunt.
 Hi rediere domum gaudenter, in exilium nos,
 Mæstitia tristes, atque dolore graves.
 Aptum cum vidi Cun. Göskon tempus, in altos
 Prosiliit montes; sic capit ipse fugam:
 570 Transvolat et celeri pede saltus, saxa, nivesque
 Congestas; dura vincla refugit ita.
 Principis at jussu reliquos nos dicit in ædem
*Jn campo Wernher nomine, corde ferox.*¹⁾
 Cum quo de feria lunæ permansimus usque
 575 Ad feriam sextam sole ferente diem.²⁾
 Tunc hora primæ nos princeps præcipit ire
 Schwyz, quo se comitem spondet adesse simul.
 Paruimus dictis, ut oportuit, at reverendis
 Presbyteris in equis, ut decet, ire datur.
 580 Nos equidem reliqui propriis pedibus gradientes
 Ocius hoc sequimur, urget ut ipse comes.

Thal der Breite nach durch eine Lehmauer geschützt, an deren westlichem Ende ebenfalls ein Thurm stand, wie etwa der noch stehende, der dem Rothenthurm seinen Namen gab. In einem Briefe der Landleute von Schwyz vom 25 Brachm. 1310 ist die Rede von einem Moos „geleit an die mur ze altum mata.“ (Kopp „Archiv u. s. w.“ S. 183.)

¹⁾ Werner im Feld.

²⁾ Von Montag bis Freitag, d. i. vom 7 bis 11 Jänners.

- Est sotularibus atque cuculla cum caliendo¹⁾
 Vestitus Custos, ordo quod ipse probat;
 Huic equus substata crepitam strepa tam spatiostam
 585 Non bene continuuit, nam nimis arcta fuit.
 Sic Schwiz intramus, vulgus, pueri, mulieres
 Accurrunt, spectant, ridiculumque movent;
 Inconsueta fuit ipsis nam visio talis,
 Quæ sic inculto corpore nigra foret.
- 590 In quam sanior hæc plebs consilium citat, ædem
 Intramus, noster nam comes instat ita.
 Hinc ibi conveniunt meliores, ut doceatur,
 Quis nos includat, compedibusque liget.
 Tunc rogat, ut præsent nos prandia sumere secum,
- 595 Horum plebanus, vir bonus atque pius.
 Quod sibi concessum fuerat de principe plebis;
 Sic nosmet secum duxerat inde domum.
 Immensaque sua nobis in mensa voluntas
 Exhibuit laute potibus atque cibis:
- 600 Condolet et nobis, mœstos solatur, et optat
 Nos cum lætitia mox remeare domum.

§. 22.

- Advecto sero dux plebis venerat ad nos
 Cum multis aliis qui comitantur eum;
 Ad Petri Locholf ædem nos præcipit ire:²⁾
 605 Omnes stupuimus, nam pietate caret.
 Inviti quamvis, tamen imus, nam propria nos
 Non fruimur sponte; corda dolore tument;

¹⁾ Sotular. Vgl. oben B. 92. Caliendum eine Kopfbedeckung der Mönche, eine Art Kappe, von Caleo, les, was den Kopf warm hält. Das zwei Verse später folgende strepa heißt Steigbügel. (Ducange Glossar. med. aevi.)

²⁾ Ein Joh. Locholf ist Zeuge in einer Vergabungsurkunde des Klosters in Steina. (Geschfrd. VII. 52.) Dessen Sohn Peter aber wird schon in der Bannbulle Clemens V. von 1309 genannt, und im oft erwähnten Klagerödel wird er angeklagt, er sei auf des Gotteshauses Güter zu Rubinen gefahren.

- Jngredimurque domum; nos inde sedere jubemur,
 Et numerati sumus nomine quisque suo.
- 610 Hinc dixit Petro plebis dux: hos numeratos
 Jn tua claustra novem tradimus ecce tibi.
 Hi sunt Bur. Custos, Ru. Winunburg, seniorque
 H. de Winunburg, junior inde datur.
 Jo. de Regünsperg, Attinghusenque Thuringus;
- 615 Post hoc Plebanus H.que minister ad hæc.
 Hinc me Ru. doctorem puerorum nominat inde,
 Ultimus ædituus est Eberhardus ibi.
 Hos ter ternos sic serves, posthac rationem
 Ut des de quovis: sicque recessit abhinc.
- 620 Extemplo cœnæ fuit hora, cibum tulit hospes;
 Sed gemitus nobis sunt cibus absque cibo.
 Pejoresque viris cito post mensam mulieres
 Jn nos verborum dira venena serunt.
 Jn faciem nostram probra non cessant cumulare,
- 625 Et nos perversos dicere nulla stupet.
 Vah! dicunt, hi sunt quorum præscriptio nosmet
 Injuste damnat, subtrahit atque cibum.
 Quæ sit nostra famæ nunc experiantur et ipsi,
 Ut digne tangat debita pœna reos.

§. 23.

- 630 Interea struxit hospes nobis labyrinthum
 Jn quem nos trusit, clausit et ipse foras.
 Innocuum nocuus, injustus carcere justum
 Damnat, honorato commoda tollit iners.
 Fas premitur, scelus exaltatur, stat dolus, æquum
- 635 Calcatur, florent crimina, jura tacent.
 Claudit, privat, icit humiles, justos, venerandos,
 Pravus, iniquus, iners, carcere, luce, probris.
 Replet amara, patrat perversum quisquis iniquus
 Semper; sed melius probat, honesta nigrat.
- 640 Nigrat honesta, probat melius, sed semper iniquus
 Quisquis perversum patrat, amara replet.
 O Monachi! flete, monachale jugum sera claudit,
 Nec Benedicti stat regula jure suo.

- Flete Sacerdotes, est carcere namque Sacerdos
 645 Clausus, et immerito vincula sœva subit.
 Plangite Diacones, ergastula Diaconatus
 Ordo subit, Dominum nec celebrare potest
 Et Subdiacones plangant, quia clausus habetur
 Nunc Subdiaconus, quem fera vincla premunt.
 650 Lugeat Acolitus omnisque simul minor Ordo,
 Clauditur Acolitus carcere namque malo.
 Plangant Plebani, plebanus carcere vinctus
 Est, nequit hinc serere verbula sacra Dei.
 Subditus et lacrimas fundat, quoniam sua corda
 655 Doctrina solita destituuntur abhinc.
 Plangant Doctores, quoniam doctor puerorum
 Occupat, heu! cæco carcere fœda loca.
 Plangite vos pueri, quos verba blanda Magistri
 Arctabant, vobis dogmata nulla patent.
 660 Totius Cleri simul hinc plangat gradus omnis,
 Quod premit immerito dira catena pios.
 Atque Ministri plangant; omnes, ecce Minister
 Clausus et indigno carcere namque jacet
 Et doleat Princeps, famulus suus est quia vinctus,
 665 Et sua tota domus dispositore caret.
 Aeditui plangant, est clausus namque sacrista,
 Qui solitus fuerat claudere templa Dei.
 Vindictam poscant sancti Domini, quia clausos
 Jpsorum Servos fortia vincla tenent.
 670 Ulciscatur idem Dominus, qui cuncta gubernat:
 Sacro Ministerio nam sua templa carent.

§. 24.

- Post bis quinque dies precibus Thüringus ademptus
 Est vinclis duris, atque solutus abit. ¹⁾
 Hinc ad cenobium nostrum lætus remeavit,
 675 Atque statum nostrum tunc reseravit ibi.

¹⁾ Den 21 Jänners, am Feste St. Meinrads.

Hinc post hebdomadas senas nova causa dolorum

Nobis exoritur, pectora nostra premens.

Nam duo tolluntur de nobis, ut crucientur

Pœna majori, compedibusque feris.

680 Hi sunt, ecce, Minister et Aedituus, simul illos

Ubi Schülhart recipit, dicit et inde domum.

Frigida tunc glacies penetravit viscera nostra,

Et lacrymæ, gemitu præpediente, scatent.

His cibus est durus, tenuis panis sine vino,

685 Temporibus brevibus quod maceravit eos.

Septimus inde dies ¹⁾ per spem mentem relevavit,

Nobis legatum mittere namque datur,

Qui tractaret quod de vinclis erueremur,

Et nobis miseris ferre pararet opem.

690 Elegimus de nobis virum satis meliorem

Ac habilem cunctis, moribus, ore simul,

Scilicet Ru. de Winunburg, probitate columnam

Nostri Cenobij, qui rogitatus abit.

Fundimus inde preces Domino persuppli corde,

695 Jpsum, quod cuncta prosperitate regat.

Quindenaque die tunc ad nos ille fidelis

Legatus rediit, gaudia multa ferens.

Hic secum comites R. Etiswile tenebat,

H. de Turre ²⁾ simul, mente fideque pios.

§. 25.

700 Terna luce dehinc ³⁾ plebem dux convocat omnem

Jllius vallis; hi sua jussa ferunt:

His legatus adest noster, Comitesque sui, qui

Contulerant illis nuncia missa sibi.

Namque preces Comites de Tokunburg, simul Habsburg,

¹⁾ Am 10 März.

²⁾ Heinrich vom Thurme. S. Kopp: „Archiv“ a. a. D. und Geschichtsfrd. II. 1. 352. Ann. 2. Quindena die, d. h. den 25 März.

³⁾ Den 28 März.

- 705 Pro nobis mittunt, litterulasque suas. ¹⁾
 His intellectis nos inde vocamur ad ipsos,
 Et fixis pactis, vincula nostra fluunt.
 Nam pactum fuerat prædictorum Comitum, si
 Supplicibus precibus littera scripta foret,
- 710 Pro nobis redimendis, tunc de carcere mitti
 Nos deberemus, quæ rata pacta manent.
 Crastina lux ²⁾ intrat iterum Plebanus, ad escas
 Invitare suas quærit, ut ante diu.
 Illo namque die feria sexta revolutæ
- 715 Bis sex hebdomadæ sunt, quibus una deest,
 Quod nobis idem Plebanus vir reverendus
 Tunc mæstis epulas præbuit æde sua;
 Nunc autem lætis non cessat fercula larga
 Largiri nobis, confluitante mero.
- 720 His epulis potusque dulcis liquore repleti,
 Ad Dominum nostrum cæpimus ire citi.
 Ante diem Palmarum prima luce Johannes

1) Der Brief des Grafen Rudolf von Habsburg ist aus Raperswile, der des Grafen Friedrich von Toggenburg aus Lichtensteig, beide vom 12 März datirt. Der Graf von Habsburg bittet noch insbesondere um Loslassung des Meisters Rudolfs des Schulmeisters, der ihm von Eigenschaft zugehöre. Es mag auffallen, daß ein anderer Bittbrief des Freiherrn Lütold von Regensberg, gegeben auf Balb, den 11 März, und noch ein weiterer ähnlicher des Freiherrn Ulrich von Güttingen, (Güttingen, den 3 Mai) der auf das Gesuch seiner Oheime Rudolf und Heinrich von Wunnaburg geschrieben hatte, hier nicht erwähnt sind. Diese Briefe befinden sich im Archiv von Schwyz, und sind gedruckt bei Tschudi, jedoch fehlerhaft, am schlechtesten der von Güttingen, den dagegen sehr genau Kopp im „Archiv für Kunde u. s. f.“ Anhang S. 202. mittheilt. Vergleiche „Regesten von Einsiedeln“ Nro. 188. 189. 190. 192. Das Siegel hängt nur noch an dem Briefe von Toggenburg. Den Inhalt übergehen wir hier, und bemerken nur, daß sämtliche Bittschreiben der Hauptstädte nach übereinstimmen und auch das Versprechen enthalten, „wegen dieser Gefangniß Schwyz niemer enheim Leit „ze gethun an Lütten noch an Lande, mit ratte, mit frumde noch mit „helfe.“

2) Am 29 März.

Abbas Princeps nos suscipit atque tenet. ¹⁾
 Huic erumpebant lacrymæ præ lætitia , nam
 725 Nobis condoluit ipse dolore gravi.
 In signum mœroris depulsi Pater iste
 Egregius fieri fercula lata jubet;
 Cum quiis nos reficit, super hoc dat pocula larga.
 Sic cum lætitia labitur iste dies.

§. 26.

730 Decurso stadio tetigi metam pede lasso ,
 Jnde suum cursum sistat anhelus equus.
 Vos elegi vestris pedibus claudis , ego nuper
 Compator, requiem sumite, tempus adest.
 Non favor appetitur, hic est jactantia nulla ,
 735 Non tropus aptatur, scema recedit abhinc.
 Jpsa Metaphora, quæ rerum translatio fertur ,
 Desit ab hoc opere, quo nisi pura manent.
 Periphrasis desit, quæ res polit, atque decorat,
 Nam velut est gesta res, ita nuda patet.

¹⁾ Palmabend war der 30 März. Der Abt war damals wahrscheinlich noch in Pfäffikon, wenigstens ist eine Urkunde im Archiv Eschenbach von ihm gegeben: „Be Pfäffikon an dem ersten Tage ingenden Abrellen 1314.“ (Geschr. VII. 174.) Mit dieser Rückkehr der Gefangenen war aber freilich der Streit noch nicht beendet. Kopp bemerkt richtig: „Durch die Schreiben der Grafen und Freien . . . wurden die Landleute als Beleidiger gegen ihre persönliche Rache allerdings geschützt, aber damit war der am Gotteshause begangene Frevel keineswegs gefühnt, und die Rechtsache des Landes gegenüber dem Kloster hatte sich nicht im geringsten gebessert.“ Und in der Anm. S. 77. a. a. D. „Regensberg, Habsburg und Toggenburg erklären in ihren Schreiben . . . daß sie „verkiesen“ wollen, was ihnen durch die Gefangennahme zu Leid und Ungemach geschehen sei; sie also sind die Beleidigten und nicht die Schwärzer; und gewiß; wäre eine Gewaltthat der Conventherren vorausgegangen (wie I schu di die Sache dreht, der hinwieder in seinem Ausmaler Müller im Klosterüberhalle keine Gewaltthat der Landleute sieht,) diese hätten ohne Zweifel gebührende Genugthuung für die erlittene Unbild gefordert, und sich nicht mit der Verzeihung des von ihnen verübten Frevels begnügt.“ (Archiv u. s. w. S. 77.)

- 740 Desit Hyperbole, consuescens transcendere verum;
 Hic quoniam sola vera patere solent.
 Verborum seriem quæ turbat Hyperbaton absit,
 Hic quia monstrantur ordine quæque brevi.
 Nullus rhetoricus color hic sibi carmine sedem
- 745 Poscit, nam pingi nulla decora solent.
 Ne, si depicta fuerint, oblita manerent
 Omnia quæ falsis oblita vera forent.
 Hic nihil est fictum, quare velamine nullo
 Indiget hoc carmen, pallia nulla ferens.
- 750 Ut res est gesta, sic scripsi, sicque legatur,
 Sic recolatur, sic permaneatque simul.
 Si quem perspicere non lippum carmina nostra
 Contingat, faveat, supplici voce precor;
 Nec ruget nares, si quid lateat vitiosum,
- 755 Sed sua defendat, ut decet, arte manus.
 Et si livor edax quæ rodit clara, placere
 Non sinat; Abba Johann, tu tamen ipsa fove
 Carmina, quæ scripsi, tua sunt, mea non; Tibi scripsi,
 O Princeps! ideo sume favore bono.

Explicit capella Heremitana Anno Domini MCCCCXLiiij proxima die post dedicationem ipsius Ecclesiæ.
